



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 88. Titulus VIII. De vigiliis, & jejuniis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](#)

*lora, sed pro peccatis emendandis, & vo- Sæcul. XVI.  
tis adimplendis.* A.C. 1584.

## §. LXXXVIII.

*Titulus VIII. De vigiliis, & je-  
juniiis.*

**T**itulus octavus de vigiliis, & jejunii  
quinque complectitur Canones, quo-  
rum primus ita exhibetur: servetur vi-  
gilia Nativitatis Domini, ad imitandum  
pietatem pastorum, qui Christo Domino  
ea nocte adorationis munus impenderunt.

Canon II. Reliquæ Vigiliæ pro more locorum, & ex mandato Catholicae Ecclesiæ, cum celebratione proprii cuiusque Ecclesiæ officii serventur, ideoque semper Dominica præcedente in Ecclesiis proclamentur, ne vitio ignorantiae ea a laicis solvi contingat.

Canon III. Serventur jejunia Quadragesimæ, & quatuor temporum, & alia ab Ecclesia instituta.

Canon IV. *Onnibus diebus jejuniorum, ut & diebus Veneris, & Sabbathi prohibetur usus carnium: tempore autem Quadragesimæ ab ovis, aliisque cibis prohibitis omnes abstineant, nisi adversæ valetudinis caussa, cum licentia Episcopi, aut ejus vicarii.*

Canon V. Cum res postulabit, Episcopi indicant jejunia ex veteri Ecclesiæ Catholicæ ritu, & ea sub pœna ecclesia-

Sæcul. XVI. stica, & Canonica servare teneantur ii,  
A. C. 1584 quibus indicta fuerint.

§. LXXXIX.  
*Titulus IX. De Ecclesiis.*

**Q**uatuordecim Canonibus titulus nō  
nus de Ecclesiis, & Basilicis ab-  
solvitur, ubi primus Canon præcipit,  
ut Ecclesiæ bellorum, incendiorum, tem-  
porum injuria, seu vetustate collapsæ re-  
stuantur, & restaurentur, cum ex col-  
latione populi, tum ex eorum, ad quos  
pertinet, sumptibus, si adsint facultates,  
idque Episcopi curent, & statuant.

Canon II. In parochiis, ubi Eccle-  
siæ dirutæ sunt, nec est exercendis sacri  
locus, ematur, aut conducatur sumptu  
populi, aut eorum, ad quos pertinebit,  
domus congrua: in qua cum licentia Epi-  
scopi super altari portatili Missæ di-  
vini officium celebretur, donec locus ido-  
neus perpetuo Ecclesiæ destinetur, aut Ec-  
clesia antiqua cœdificetur.

Canon III. In Monasteriis, Prio-  
ratibus, capellis, leprosariis, eleemosyna-  
riis, si quæ Ecclesiæ, & domus destructa  
sunt, redditu, & sumptibus eorum, ad  
quos ejusmodi beneficia pertinent, aut qui  
ea possident, restaurentur, & ad id ab  
Episcopis locorum compellantur, pœnis,  
& censuris Ecclesiasticis, tum etiam red-  
ditus prehensione.

Canon